

DIOCESE OF HONG KONG

Prot. no. 132/69

Hong Kong, die 2 Septembris, 1969

Emin.mo Cardinali Praefecto
S.C. pro Cultu Divino
Romae.

Eminentissime Domine,

Factum est in hac dioecesi ut quidam coetus fidelium s. Communionem suscipere inceperint in manibus s. species accipientes, cooperantibus - ut patet - quibusdam missionariis exteris. Agitur revera de parvis coetibus, de fidelibus maturis et satis instructis, qui tamen - aiunt sacerdotes illi - vehementer mirarentur et scandalum paterentur si praxis huiusmodi, hic quidem clandestine inducta sed alibi iam aperte permissa, ex abrupto prohiberetur.

Ad normam Instructionis istius S.C. "de modo s. Communionem ministrandi" (Prot. no. 149/69, 29 Maii 1969), Conferentiam Regionalem Episcoporum Sinarum (Taipei, Taiwan) - cui tamen haec dioecesis reapse non participat, ita declarante S.C. de Propaganda - rogavi ut facultatem permittendi hunc modum ministrandi s. Communionem pro Episcopo de Hong Kong impetraret; sed Conferentia negative potius se habuit, cum Episcopi illi contra huius praxis introductionem votum iam dederint. Non restat nisi ut ad istam S.C. pro Cultu Divino ipse directe recurram, ad obtinendam facultatem permittendi huiusmodi praxim pro coetibus fidelium ubi iam invaluerit et sine magno incommodo desini nequeat.

Atvero, quid de coetibus illis qui ex imitationis amore studiose firmiterque exoptabunt eandem praxim in usum assumere, quibus usum huius praxis denegare durius evaderet nec omni undique ratione aequum? Nonne tutius esset - si possibilis res sit - Episcopo de Hong Kong pleniorum facultatem concedere in hac materia, adeo ut pro suo prudenti iudicio et onerata eius conscientia possit hunc s. Communionem ministrandi modum, quod ad praxim attinet, in sua dioecesi moderare?

Qua par est observantia atque gratias imo corde agens,

Addictissimus in Christo

+ F. Hsu
Episcopus Hong Kong

1969年9月2日徐誠斌主教向教廷申請信徒可手領聖體